

Judæus ex captivis aliquam extraneam uxorem adamaret, primo eam sordidis vestibus spoliaret; exin stafiū novis mundisque indueret, et sic eam uxorem haberet. Decet igitur ut hoc faciat Deus animæ peccatrici vere alienigenæ, cum assumere eam vult in sponsam. Itaque non solum a peccatis eam abluit, sed præterea nova splendidaque gratiæ veste, virtutum coloribus variegata induit. Ea vero pulchritudo in quibusdam sanctis e facie elucebat, uti in B. Virgine, teste S. Dionysio Areop. in S. Stephano, S. Arcadio, S. Simone Salo, S. Ignatio, etc. Hanc ss. angeli in anima venerantur, et statim incipiunt amare.

Ad hæc, si sponsa, ergo a sponso subinde recreari et cum ipso gaudere debet: *Numquid enim filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* ait Dominus, Matth. IX. Sic qui in gratia sunt, semper animo pacato et hilari sunt et in ipsis afflictionibus reficiuntur a sponso suo infernis solatiis.

Sponsa dignitatem sortitur sponsi, ut si sponsus sit rex, sponsa fiat regina. Omnes etiam proles sponsæ regiam induunt dignitatem propter sponsum regem, tametsi ipsa prius non fuerit regina; ita opera hominis justi induunt rationem meriti cœlestis, ut suprad.

Denique, sponsa gaudet, et fruitur bonis sponsi; omnia enim quæ habet sponsus, sponsæ etiam sunt, nec fit inter conjuges partitio bonorum: sed quod est unius, est et alterius. Regnum igitur suum, quod est: *Justitia, et pax et gaudium in Spiritu sancto* (ad Rom. XIV.) Deus intra sponsam ponit, ut ea cum ipso regnet, ipsius bonis fruatur.

Quando itaque tanta sunt bona, quæ præparavit Deus diligentibus se, tantæ dignitates, tantæ divitiæ, tantæ prærogativæ, quis non incitetur ad amorem Dei et vitiorum odium ac fugam? Neque enim hic alia pugna, nisi contra vitiorum illecebras requiritur, nec alius amari præcipitur, nisi is, qui ex natura sua amabilissimus, imo omne bonum est. Quando speciosissima illa Judith in castra Assyriorum descendit, Assyrii visa ejus pulchritudine dicebant: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras habent mulieres, ut non pro his merito contra eos pugnare debeamus?* Judith X. Nihil ad decorem gratiæ decor ille Judith. Quis ergo non pro ea depugnet contra vitia, quis non amet Deum, qui amorem illum tanto amore remunerat?

CONCIO IV.

SIGNA INHABITANTIS SPIRITUS SANCTI SEU GRATIÆ IN HOMINE.

I. Motus in homine internus. — II. Mutatio hominis in virum alterum. — III. Fuga illecebrarum peccati et timor Dei. — IV. Timoris humani expulsio. — V. Robur et imperterritus ad patiendum animus. — VI. Promptitudo ad obediendum Deo. — VII. Desiderium majoris perfectionis, et alaritas ad bene operandum: itemque modus accendendi in nobis ignem Spiritus sancti.

THEMA.

Tamquam ignis sedit supra singulos eorum.
Actor. II.

Magni momenti quæstio est, quam proposuit S. Paulus quibusdam discipulis, Actor. XIX. *Si Spiritum sanctum accepistis? Si quis enim Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, inquit idem apostolus, ad Rom. VIII. q. d. in statu gratiæ non est, in statu damnationis est, sed ne minus difficilis quæstio ista est; quia Spiritus sanctus non jam in visibili specie, velut olim columbæ super Christum, vel ignis super discipulos ejus; sed arcano et invisibili modo in cor hominis descendit. Unde Dominus, Joan. III. dixit Nicodemo: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis; sed nescis unde veniat et quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.* In quem locum D. Gregorius, l. XXVII. moral. c. XIII. ait: «*Vocem Spiritus audire est vi compunctionis intimæ in amore conditoris assurgere. Sed nemo scit unde veniat, quia ignoratur per ora prædicantium, quibus se ad nos occasionibus fundat. Et nemo scit, quo vadat, quia cum unam prædicationem multi audiunt; intelligi non potest, quem deserens abiciat, aut cujus ingrediens in corde requiescat.*» Quid igitur, auditores, quid respondebimus apostolo? *Si Spiritum sanctum accepistis?* Respondemus ex Ecclesiæ cathol. sententia, non scire quidem nos certitudine fidei (ut volunt hæretici) nec certitudine infallibili, seu evidenter, an Spiritum sanctum acceperimus; posse tamen scire certitudine quadam morali, seu conjecturali, quæ excludat anxietatem ac metum, et quandoque omnem oppositi formidinem. Possumus ergo audire vocem Spiritus sancti, hoc est, ex quibusdam argumentis præsentiam ejus deprehendere, tametsi illam in nobis oculo fidei aut scientiæ non cernimus. Et propterea in specie ignis descendit hodie in discipulos, ut per analogiam et similitudinem effectuum, quos parit ignis, deprehendamus in cordibus nostris gratiam ejus; id quod nunc facimus.

I. Ignis strepitum edit, necnon bombum in bombardis, tonitru in nubibus. Ita Spiritus

sanctus cum incipit movere cor ad penitentiam et detestationem peccati, totum hominem concutit, et quasi fragore quodam edito aut tonitruo percussit. Quemadmodum enim ingrediente Domino Jerosolymam: *Commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?* Matth. XXI. ita ingrediente in cor hominis Spiritu sancto commoveatur totus homo dicens: *Quis est hic, quem offendi? Quis sum ego qui eum provocare ad duellum ausus sum? Quanta insaniam laboravi? Quoties et quam graviter deliqui? Quantum boni perdidit? Quæ supplicia commerui? Hunc sonitum significare videtur ventus ille vehementis, qui missionem Spiritus sancti præcessit et replevit totam domum, ubi erant sedentes; ut scilicet indicetur prius vento gratiæ provenientis, et ad contritionem excitantis dejicienda obstacula Spiritus sancti peccata, et pulveres peccatorum evertendos. Quod si igitur ejusmodi commotionem et fragorem in te senseris, bono animo esto; non longe a te abest Spiritus sanctus, paulo enim post aderit. Cujus rei figura era Samson, qui irruente in se spiritu Domini dilaceravit leonem quasi hœdum in frusta discerpens, Jud. XIV. Discerpere igitur et tu peccata debes per contritionem, et in frusta comminuere per confessionem, si vis ut credam te a Spiritu sancto afflatum esse.*

II. Ignis immutat rerum naturas, cibos crudos excoquit, et salutare homini reddit, ferrum natura sua durum, obscurum, ponderosum, frigidum dum ignit, ignis conditionibus induit; reddit molle, lucidum, leve, fervens. Idem in corde hominis efficit Spiritus sancti adventus; immutat enim hominem, ut jam non idem, sed alius quidem homo esse videatur. Qui enim paulo ante fero durior, tenebris ipsis tetricior atque obscurior, pondere vitiorum ad terram demersus, glacie denique frigidior in amore cœlestium erat rerum, postea adveniente gratia duritiam solvit, ceditque inspirationibus divinis, cœlesti lumine illustratur, excussa peccatorum sarcina ac pondere terreni amoris, assurgit ad divina, cœlestia desiderat, serio et constanter cavet peccata, flagrat Dei amore, etc. Hac ratione Saul postquam in unctus fuit, e rustico et pastoritio viro mutatus est in regem, prophetam ac psalterem. Unde Samuel ad eum dixit: *Insiliet in te spiritus Domini, et prophetabis cum eis et mutaberis in virum alterum*, 1. Reg. X. q. d. qui prius rusticam egisti vitam, de asinis tantum sollicitus et pecoribus, vilia et infima tractare solitus, postea in unctus oleo et afflatus spiritu Dei, altiores et regias cogitationes suscipies, regios mores indues, sublimia tantum negotia tractabis, et cum prophetis divinas laudes canes. Id quod ibidem factum esse magna populi ad-

miratione scribitur; dicebant enim: *Quanam res accidit filio Cis? Num et Saul inter prophetas?* Idem contigit apostolis, qui in unctio Spiritus sancti e rudibus et indoctis piscatoribus in viros tam eloquentes, eruditos et graves sunt mutati, ut omnes qui eos audiebant, obstupescerent, ac quodammodo dubitarent, utrum iidem, an alii essent: *Nonne, inquit, ecce omnes isti, qui loquuntur Galilæi sunt?* Act. II. sane ebrios saltem aut insanos putabant. Verum ebrii erant spirituali musto, quia per infusionem Spiritus sancti e carnalibus spirituales, e terrenis cœlestes facti sunt. Quando igitur videritis aliquem prius mundo, deliciis et vitiis deditum mores commutasse in melius, mundum et delicias spernere, superna amare, terrena fastidire, pro sceleratis actionibus sanctas edere, nunc scitote eum Spiritu sancto inunctum esse, ac dicite: *Hæc mutatio dexteræ Excelsi*, Ps. LXXVI.

III. Ignis omnia respuit, et neminem ad se prope accedentem admittit, quin in eum pugnet. Idem agit in homine Spiritus sanctus, quando per gratiam in eo habitat. Quare si peccatorum illecebras passim occurrentes respuas, et in eos pugnes, argumentum est Spiritus sancti in te habitantis. Paradisum munivit Deus flammeo gladio, Genes. III. ne quis deinceps accedere ad lignum vitæ posset. Spiritus sanctus munit cor hominis, quod inhabitat, igne timoris Dei. Hic si fuerit custos cordis tui, ut mundo, carni, diabolo aditum ocludas, tunc dicam hospitem cordis tui esse Spiritum sanctum. Quando principis palatium apertum et nullis satellitibus stipatum est, ita ut cuivis de plebe licitum sit ingredi, signum est principem domi non esse; contra vero in palatio esse, cum ad fores excubant satellites, et ab ingressu palatii arcent eos, qui ingredi non debent. Ita dico ego: Si cor tuum omnibus passim desiderii et cogitationibus sit pervium, nec propterea tibi conscientiam facias, non esse domi tuæ Spiritum sanctum. At si custos tuus sit ignis Spiritus sancti et timor Dei, signum est inhabitari te a Spiritu sancto. Habuere custodem illum apostoli, qui post acceptum Spiritum sanctum, cum pessimus ille mercator Simon magus pecuniam eis offerret, ut darent eis potestatem conferendi Spiritum sanctum, respuerunt mox iniquissimum lucrum et dixerunt: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*, Act. VIII. Habuit et David qui a suis instigatus, ut occideret Saulem inimicum suum deprehensum in spelunca, abhorruit dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo domino*. Et cum præcideret oram chlamydis ejus, statim percussit eum cor suum, quasi custos ille timor Dei mox pro-

diderit et reprehenderit hanc etiam levem culpam, ingressam in cor Davidis, 1. Reg. XXIV. Unde S. Basilius, interrogat. CCXCVI. in brevioribus querit, qua ratione persuaderi possit animæ culpa, quod a peccatis sit libera et consequenter in statu gratiæ, respondetque: *Si quis in seipso animi affectionem illam similem Davidi inesse animadverterit apud quem est, iniquitatem odio habui, et abominatus sum.*

IV. Ignis se includi non fert, sed foras erumpit, et omnia obstacula perrumpit, uti patet in bombardis, cuniculis subterraneis igne succensis, etc. Quare si quis bene operando foras prodeat, ita ut a bono opere impediri se non patiat, sive a timore humano, sive a pudore aliove obice, dicam eum Spiritus sancti habitaculum esse, quia scriptum est, 1. Joan. IV. *Perfecta charitas foras mittit timorem*, quomodo scilicet ignis in bomba expellit æneum globum, ut in publicum erumpat. Ubi ergo talis eruptio et timoris expulsio videtur, ibi intus latet ignis charitatis et Spiritus sancti. Indicium hoc videre etiam in apostolis fuit imprimis hodierna die, quando usque ad eam in cœnaculo inclusi manserunt cum cæteris fidelibus, utique ob metum Judæorum: tacti vero igne Spiritus sancti, foras eruperunt, et in laudes ac prædicationem evangelii publicam proruperunt urgente Spiritu sancto. Deinde, quando jussi a principibus tacere et abstinere a Christi præconio, intrepide responderunt: *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim possumus, quæ vidimus et audivimus, non loqui*, Act. IV. Charitate enim succensi respuebant omnes pœnas, et in proposito suo perrexerunt. Rursum adducti in concilium, principi sacerdotum et magistratui, silentium eis præcipienti, dixerunt: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*, Act. V. Eadem constantia ac pene iisdem verbis gentilis ille Socrates respondit olim iudicibus, a quibus ad mortem condemnatus erat ob philosophiæ sinceram professionem. Dicebat enim: *Equidem vos omnes singulari quadam benevolentia complector: parendum tamen potius duco Deo immortalis, quam vobis. Itaque quamdiu et sperabo et potero nunquam philosophiæ curam abjiciam, nec vestri admonendimoreque ac modo meo adhortandi ad virtutem: quemcumque sero ex vobis nactus,» Plato in apolog. Ostensum hoc est typice in Samson, qui duobus novis funibus ligatus a suis contribulibus, et traditus Philisthæis, irruente in se spiritu, rupit funes et interfecit hostes, Jud. XV. Rursum inclusus in Gaza urbe abstulit ambas portæ fores, et exivit, cap. XVI. Quid duo isti funes et duæ fores, nisi timor et pudor? Hi enim multos ligant atque includunt, quominus recte operentur. Ergo*

qui eos ruperit, nã is magnum argumentum dabit, irruisse in eum Spiritum sanctum eique hoc robur dedisse. Interroget nunc seipsum quisque, an tali robore præditus sit, an foras mittat timorem. Quæro igitur ex te: Fratrem forte peccantem fraterne corripisti aliquando? Non, inquis. Cur? Ne illi displicerem, isque ægre ferret, timui, sed: *Perfecta charitas foras mittit timorem*, ait Joannes. Vidistine aliquando fieri alicui injuriam, injustum aut durum quid in præjudicium aliorum decerni in senatu vel concilio assidens? Sæpius. Reclamastine et iniquos consiliarios correxisti? Non, ne eos offenderem, ais. Ergo Spiritum sanctum non habes qui Dei timorem præcipit, non hominum. Offendistine aliquando verbis proximum tuum? Sæpius, inquis. Revocastine calumniam, et veniam ab eo postulasti et honorem restituisti? Non, dicis: timeo enim ne id mihi dedecori sit apud alios, sed: *Perfecta charitas foras mittit timorem*. Quoties et quantas das pauperibus eleemosynas? Nunquam, vel exiguas. Cur? Timeo ne per hoc egere ipse incipiam, sed: *Perfecta charitas foras mittit timorem*. Quam sæpe pœnitentiæ et communionis sacramentum frequentas? Semel in anno, ais. Cur ita? Cum corpus tuum bis in die pascas, animam in anno tantum semel, vereor ne ab aliis hypocrita videar, aut certe singularis dicar, sed: *Perfecta charitas, etc.* Ad quid iste tuus superfluous ornatus? Annon superbiæ indicium? Annon putas æque te agnoscere in modestiori? Ne ab aliis mei similibus despiciar, et videar non habere, quo vestiari juxta statum meum, sed: *Perfecta charitas, etc.* Quoties ad choreas, convivias, et ludos non ivisti, cum vel invitaberis, vel occasio esset? Nunquam, ais, ne ab aliis religiosus parum cordatus aut inhumanus viderer, sed: *Perfecta charitas foras mittit timorem*. Quare si tibi mundus et vel ipsi parentes vincula illa timoris vel pudoris volunt injicere, disrumpe ea fortiter, et habebis argumentum regi te a Spiritu.

V. Ignis mollia indurat, uti lateres et vasa fictilia. Quare si ad ferenda adversa duri et infracti simus, signum est Spiritus sancti ignem in nobis habitare, a quo effectus ille procedat. Patuit in apostolis Spiritu sancto roboratis: qui enim prins timidi et imbecilles erant ad patientiam, fugiebant et abscondebant se, partim etiam ad ancillæ vocem terri negabant: postmodum caute marpesia duriores stetero ante reges et tyrannos, contempsero eorum jussa, sprevero minas, verbera, vincula et supplicia pro deliciis habuere, et gloriati sunt de illis. Hinc Petrus, Jacobus, et Joannes videbantur S. Paulo columnæ esse, uti ipse testatur ad Galat. II. quia sicut columnæ tanto firmiores stant, quanto majori

premuntur onere, ita apostoli Christi in persecutionibus fortiores stetero. Idemque olim Socrates præscripsit viro justo: ejus enim hæcerat sententia: *Sicut statua vel columna basi, ita vir bonus instituto innixus honesto, nullatenus dimoveri debet*, Stob. ser. 1. Quæro jam ex te: Uxorem habes difficilem, iracundam, morosam? Vicinum invidum, infensum? Pro admonitione convicium, pro beneficio injuriam accipis? Spoliaris bonis tuis? Moritur uxor, liberi? Quo fers animo quæso? Læto et æquo? Utinam! Et o quam rara hæc avis! Quam multi hodie, qui sibi ipsis cruces imponunt, jejunia, peregrinationes, elemosynas, etc. et cruces sibi a Deo impositas ferre nolunt, et unum verbum asperum, unum contemptum devorare et oblivisci nequeunt? Qui hoc nisi extrema dementia? Si enim tu ægrotes, nonne mavis præscribi tibi pharmacum a medico perito, quam a teipso, licet artem mendendi calleas: ne forte nimio tui amore nimis parum, vel nimio desiderio convalescendi, nimis multum sumas? Cur igitur non fers æquo animo pharmaca a Deo tibi præscripta, qui optime novit, quantum tibi conveniat?

VI. Ignis e converso dura quædam emollit, et aliquot uti metalla et ceram ad varias imagines et sigillorum formas recipiendas. Ita Spiritus sancti gratia animam reddit tractabilem et idoneam ad recipiendas divinas impressiones, inspirationes, manducationes, ut docet D. Thomas, 1. II. quest. LXVIII. art. 1. Duri erant apostoli ante missionem Spiritus sancti, ideo Dominus ante resurrectionem exprobravit eis incredulitatem eorum duritiam cordis. Sed post eam ita tractabiles facti sunt, ut instar cæræ liquefactæ omnes formas recipere, ad omnes provincias, quocumque mitterentur, pergerent, divinæ directioni in omnibus subjacerent. Quod si nos similiter deponeremus cor lapideum et sumeremus cor carneum, signum foret habitare in nobis ignem Spiritus sancti. Significatum hoc mystice Genes 1. cum dicitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, id est, (ut Tostatus exponit) tam facile rerum omnium creandarum figuras designabat et ideas, quam facile quis digito in aquam scribit. Mystice Spiritus s. fertur super aquas, id est, super mobiles et tractabiles, qui inspirationibus ejus expedite cedunt et obediunt. Talis erat Beata Virgo, cui merito dictum est: *Spiritus s. superveniet in te*, quia ut aqua et cera erat mollissima; dixit enim: *Eccc ancilla Domini, fiat mihi, etc.* quasi dicat: (ut exponit Theophyl. ib.) *Eccc tabula sum pictoria, pingat pictor, quod voluerit. Sicut iter et David, Psal. LXXII. Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum: tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate sua deducisti me.* Ut enim jumentum (velut equus)

onerari se patitur, duci et reduci pro arbitrio, imo pedes omnes, unum post alterum elevari, donec unguis ejus ferreæ solæ affigantur, ita asserit David se parere Deo. Et certe mirum, quod jumenta usu tam tractabilia fiant, nos vero vix unquam fiamus. Vidi asinum, qui ad nutum domini cubabat, trahi se patiebatur, ad numerum saltabat: simium item qui velut mortuus esset, se tractari et flecti a domino suo; nos vero quam multas audimus vocationes, conciones, inspirationes, videmus exempla, et vix aliquando Spiritui sancto acquiescimus atque obedimus. Laudamus exempla, conciones, sed non facimus quæ jubentur. Quoties tibi dicitur: *Diligite inimicos, quoties oras: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos, etc.* et cur non id facis? Vide annon tibi dicat S. Stephanus, Act. VII. *Dura cervicæ et incircumcis cordibus et auribus, vos semper Spiritui s. resistitis.*

VII. Ignis sursum movetur, celerrime quidem, secumque rapit ea, quæ ignit: ita Spiritus sanctus hominem ad sublimia rapit, ut semper in bono proficere et ascendere desideret: ea etiam quæ agit, expedite et cum delectatione agat, viamque mandatorum Dei currat. Quare si quis hæc in se experiat, magnum habet testimonium inhabitantis in se gratiæ. D. Bernardus, serm. de S. Andrea ait: *Nullum præsentis Dei certius testimonium est, quam desiderium gratiæ amplioris.* Idque probat ex Ecclesiastico, cap. XXIV. *Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient.* Deus enim hanc appetentiam excitat in justis. Canis venaticus lento incedit gradu, quamdiu feræ alienius vestigium non deprehendit; eo autem reperto, toto impetu rapitur ad speratam prædam: ita qui Spiritus s. dulcedinem degustarunt, toto peotore ad Deum rapiuntur et proficiunt in desiderio. Ignis enim Spiritus s. inhabitans sursum eos trahit: quam tractionem, qui non sentiunt amplius, jure timeant, ne defervescant, et paulatim decidant.

Ad hæc si cum delectatione facias, quæ tibi præcepta et salutaria sunt, signum est te agere igne Spiritus sancti. Quemadmodum enim ostium oleo inunctum facile et blande movetur in cardine; contra quod inunctum non est, ægre et cum strepitu, auresque ac dentes offendit: ita qui Spiritus s. unctione (ita enim appellatur in hymno ab Ecclesia) præditi sunt, libenter et hilariter, faciunt quæ debent; qui ea destituti difficulter, et cum murmure. Videre id erat in apostolis, qui accepto Spiritu s. *Ibant gaudentes a conspectu concilii*, (ad exequendum unum suum apostolicum) *quoniam digni habitus sunt pro nomine Jesu contumeliam periti*, Act. V. Quare si qui gratia nimis videntur Ecclesiæ præcepta, si concio vel missa paulo protensior tædium ei parit, si

crebriora indicta jejunia aut feræ, si institutæ orationes ad murmur aliquem provocent, timeat is profecto ne sit ostium pigritiæ spiritali unctione carens, juxta id Prov. XXVI. *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Quando igitur vidimus indicia Spiritus sancti, advertat nunc unusquisque, an ea in se deprehendat: mittat manum in sinum suum, et exploret cor suum, utrum igne ardeat, an glacie potius rigeat. Ac siquidem ignem hunc non reperit, quamprimum in se accendere curet. Sed quis accendendi modus?

Primo, ignis accenditur flatu. Flatus tuus oratio est. Ora ergo ferventer, ita enim discipuli dum perseverant in oratione, replentur Spiritu sancto. Ad hæc Sapiens: *Invocavi, inquit, et venit in me Spiritus sapientiæ, Sap. VII.*

Secundo, accenditur speculo soli obverso. Speculum hoc meditatio est vitæ et passionis Domini, necnon verbum Dei, teste D. Jacobo. Inspice ergo vitam Christi, et te in ea contemplare: vide quam dissimilis sis magistro et Domino tuo, quam ingratus Deo, quam miser et miserabilis, quot suppliciorum reus, etc. De hoc locutus David, Ps. XXXVIII. cum dixit: *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescit ignis.* Contemplare te in verbo Dei, quia de hoc aiunt duo illi discipuli: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* Luc. XXIV.

Tertio, accenditur, percussione, uti patet in silice. Tu ergo percutite et castiga corpus tuum jejunii, flagellis, ciliciis, tusionibus pectoris. Ita Publicanus ille percussus pectus suam gratiam invenit.

Quarto, affricatione corporum solidorum. Et tu insinua te in honorum societatem, junge te spiritualibus viris, eorum consilia audi et mores imitare.

Denique, ignis ignem accendit. Demitte igitur te per cogitationem in gehennam ignis, et vide num habitare queas cum ardoribus sempiternis. Immitte digitum in candelæ ignem, et si ad horam ferre ignem illum potueris, tunc delibera, an velis servire potius diabolo, an amare Deum? Quod si id minime tuleris, vide quid erit ardere in inferno? Quantum ergo malum erit peccatum, quod non nisi æternis ignibus castigari debet? Quanta tua vesania, qui pro exigua et momentanea voluptate, lucello, vel honoris fumo te immersisti in horrendum illud barathrum? Et cur inde non quamprimum eluctaris, etc?

CONCIO V.

CIRCUMSTANTIÆ ADVENTUS SPIRITUS SANCTI.

- I. Venit in die pentecostes et hora tertia.— II. Venit super sedentes in eadem domo, et sedit super apostolos.— III. Venit repente cum impetu.— IV. Venit cum sono cœlitus emisso.— V. Venit cum vento vehementi.— VI. Replevit totam domum.— VII. Venit Jerosolymam.— VIII. In specie linguæ.— IX. In forma linguæ igneæ.

THEMA.

Factus est repente de cœlo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis. Act. II.

Quando rex aut imperator in celebrem civitatem solemnem pompam ingreditur, mox adest pictor aliquis aut sculptor, qui totam illam pompam accuratissime depingit, et iis qui non interfuerunt, spectandam proponit. Maxima cum pompa hodie ingressus est in orbem terrarum Spiritus sanctus, adeo ut hic dies vocetur a Joële: *Dies Domini magnus et manifestus*, ut exponit S. Petrus, Act. II. Venit enim maximo cum tonitruo, veluti bombardæ sono; venit cum impetu et vento vehementi, velut manu forti; venit de cœlo; venit cum igne: quæ quia magna continent mysteria, idcirco S. Lucas velut pictor egregius, totam illam pompam nobis, quæ oculis eam non spectavimus, accurate depinxit. Videamus ergo picturam.

I. Spiritus s. venit in die pentecostes. Primo, ut significaret legem veterem hoc die mutatam in novam. Notum enim est veterem legem Judæis in monte Sinai datam die quinquagesimo post pascha. Quinquagesimo etiam die data lex gratiæ Christianis in monte Sion (juxta prophetiam Is. II. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerosalem*) velut finem imponens legi veteri, sicut res ipsa finem imponit umbræ et figuræ; fuit enim promulgatio legis veteris typus legis novæ. Ibi terræ motu contremuit mons, hic domus discipulorum; ibi inter flammam ignium et micantia fulgura fragor tonitruorum personabat, hic cum ignearum visione linguarum sonitus pariter de cœlo tamquam spiritus vehementis advenit; ibi clangor buccinæ perstrepebat, hic tuba evangelica apostolorum ore insonuit. Unde apostolus, ad Hebr. XII. de hoc ait: *Non enim accessistis ad tractabilem montem et accensibilem, ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonum; sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, et Jerosalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, etc. Videte ne recusetis loquentem, etc.* Nimirum illa fuit lex timoris, hæc amoris; illa fuit scripta in tabulis lapideis, hæc in tabulis cordium carnis.

Secundo, ut significaret ex hoc die inci-

pere jubileum plenissimum remissionis peccatorum in toto mundo; etenim numerus quinquagesimus, quem significat vox pentecoste numerus est jubilei, quod erat quovis quinquagesimo anno, in quo poterat quisque redire ad pristinam possessionem suam, alteri venditam, Levit. XXV. similiter hodierno die, quo remissio peccatorum toti mundo prædicari cœpit, incipiebat jubileum Christianorum, quo ad pristinam possessionem, id est, gratiam et gloriam perditam redire quisque poterat. Et hic est annus ille placabilis Domini, quem de tempore gratiæ prædixit Isaias, c. LXI. et interpretatur ipsemet Christus, Luc. IV. in qua omnia peccatorum debita Spiritus s. igne comburi inceperunt.

Tertio, ad designandum, quod ex hoc die incipiat messis Christi, quam vicinam esse dixerat Dominus, Jo. IV. *Videte regiones*, inquit ad discipulos: *Quia jam albæ sunt ad messem*: et mox: *Ego misi vos metere, etc.* Nam uti post pentecosten Judæi falcem mittebant in messem, ita ex hoc die metere inceperunt apostoli in agro Christi. Unde Chrysost. hom. IV. in Acta apost. *Cum falx mittenda erat in messem, cum fructus erant colligendi, cum falx sermonis erat adhibenda, cum colligendæ fruges; tunc Spiritus advolavit velut falx acuta.*

Quarto, in die pentecostes primitiæ frugum offerri Deo debebant, duo videlicet panes primitiarum de duabus decimis similæ fermentationis, Levit. XXIII. Hoc eodem die duos panes primitiarum, id est, duo populi, Judæi et gentiles converti cœperunt et baptizati sunt: ex duabus decimis, hoc est, observatione decem præceptorum in utroque populo.

Venit autem hora tertia (Act. II.) tertia inquam ab ortu solis. Primo, quia tunc apostoli et alii homines erant omnes excitati et vigiles, necnon sobrii adhuc, adeoque magis idonei ad hoc prodigium suscipiendum et considerandum. Secundo, quia illa hora apud Judæos erat orationi destinata, ait Beda. Tertio, quia tunc promulgabatur lex tertia. Prima fuit lex naturæ: secunda Moysis: tertia lex Christi. Quarto, quia Spiritus s. est tertia in Trinitate Persona. Quam ob causam etiam Ecclesia hora precum tertia Spiritum s. invocavit: Nunc sancte nobis Spiritus, etc.

II. Venit super sedentes seu manentes in eadem domo: ad designandum primo, quod non detur Spiritus s. nisi constitutis in domo Ecclesiæ Christi. Ut enim columba a Noe emissa, extra arcam non invenit, ubi requiesceret pes ejus, Gen. VIII. ita nec Spiritus s. extra Ecclesiam Frustra ergo invocant et expectant Spiritum s. ejusque gratiam, quotquot extra Eccle-

siam sunt, uti et Baaliticis illi sacerdotes, III. Reg. XVIII. quibus frustra invocantibus deum suum, ut demitteret illis ignem ad devorandum holocaustum, eludebat Elias dicens: *Clamate voce majore, deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.* Clamabant ergo voce majore, sed surdum habuere deum suum, Elias a Deo suo quem petebat ignem statim obtinuit. Sic quantumvis clament hæretici, quantumvis absolvantur a suis pastoribus, non accipiunt Spiritum s. quia non sunt in domo Ecclesiæ Christi, extra quam non est salus, nec absolutio. Secundo, quod non detur ira et odio æstantibus, sed unanimiter sedentibus, id est, pacificis et concordibus. Hoc enim est quod Ps. CXXXII. dixit David: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, etc. Sicutros Hermon, qui descendit in montem Sion, quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, etc.* Quo loco Theodoretus per rorem interpretatur Spiritum s. missum in montem Sion. Porro ros non cadit in terram sæviente tempestate, sed tranquilla: sic Spiritus s. non venit super iracundos, et odio flagrantes; quietos vult et pacificos. Mons Hermon licet interfluo Jordane dividatur a monte Sion, qui tamen altissimus et amplissimus est, cœlum designat vel Christum a quo descendit Spiritus s. in Sion: licet inter Christum tunc et apostolos magna esset distantia loci. Dicitur sedit super apostolos. Primo, ut eos inductoraret doctores orbis, et quodammodo coronaret, ut volunt Ammonius hic, et Cyrillus Hieros. catech. XVII. Secundo, ut ostenderet se in iis eorumque successoribus permansurum usque ad finem mundi, juxta promissum Christi, Jo. XIV. Ita Chrysostomus.

III. Venit repente, seu cum impetu. Primo, ut miraculum hujus missionis manifestum esset. Cum enim naturale tonitruum sit, prius advehitur nubes, micant a longe fulgura et subaudiuntur de procul bombi, non ita ibi: sed repente factus est de cœlo sonus: *Ut subita consternatione*, inquit OEcumenius, *et metu excitaret et omnes ad concurrendum impelleret: sensibiliter vero ut miraculum confirmaret, quod omni caret calumnia, etc.* Unde subdit postea Lucas: *Facta autem hac voce convenit multitudo et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.* Fuit ergo repentinus iste sonitus quasi sonitus campanæ, quæ instante publica necessitate pulsatur ad convocandum populum. Voluit enim Deus convocare populum ad primam apostolorum concionem, ut omnes intelligerent, non hominum, sed Dei promulgandum esse verbum.

Secundo, ad significandum quod Spiritus sanctus credentibus quos replet, fervorem in-

cum ait: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Quare dabimus operam uti etiam nos in hodierno die incensi flamma charitatis explodamus bombardas nostras, et mittamus foras omnis generis timores, inutiles et noxios. Non explicat Joannes, qualem timorem pellat charitas, sed indefinite et illimitate loquitur, unde sine dubio omnes timores intelligit, charitati adversantes.

I. Hujusmodi autem est timor Dei servilis, quo metu pœnæ, et gehennæ præcise, non amore Dei et virtutis servant aliqui mandata. Et hic timor bonus quidem est, imperfectus tamen, et connotat pronitatem ad peccandum, si pœnæ non essent: ideo in eo sisti non debet, sed conandum ulterius ad timorem filialem, castum et reverentialem, qui est filii, sponsæ, amici, ita ut peccare non vellemus, etiamsi impune possemus. Ad quem timoris gradum perfectissimum pervenit Deipara, S. Joannes Baptista, apostoli et alii quidam magni Dei amici, uti S. Antonius, qui dicebat: *Ego Deum jam non timeo, sed amo, quia perfecta charitas foras mittit timorem*, ut refertur in vitis patrum, lib. V. libello VII. tract. de charitate, n. 1. Sed quia hæc timoris perfectio paucorum est, ideo saltem progrediendum ad timorem initialem, qui est compositus ex utroque, et timet culpam ac pœnam, sed magis culpam, quam pœnam. Dicitur autem initialis, quia inchoat perfectionem charitatis et pietatis (*quomodo seta inducit filum sutoris in calcem*, ut ait S. Augustinus), sed nondum pervenit ad altissimum illum perfectionis gradum, qui foras mittit omnem timorem pœnæ. Quo vero quisque in hoc timore magis crescit et accedit ad filialem illum, eo fit perfectior et sanctior.

II. Timor mundanus qui magis timet homines, quam Deum, corporalia et temporalia damna quam spiritualia et æterna, pœnam quam culpam: magis timet offendere parentes, uxorem, liberos, cognatos, amicos, quam Deum, ideoque in illorum gratiam violat præcepta Dei. De hoc S. Chrysostomus, hom. V. ad pop. Antioch. sic scribit: « Pueri parvi larvas timent, ignem non timent, sed si lucernam portari contingat, manum immittunt flammæ. Sic nos timentus, quæ est larva contemptu digna: peccatum nos timentus, quod est vere timendum et ignis more conscientiam corrodit. » Horum timidorum: Pars dicitur esse, in stagno ardenti igne et sulphure, Apoc. XXI. Tales sunt inter alios, qui deficient in persecutionibus ceduntque et consentiunt tyrannis. Quibus ait Dominus, Matth. X. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, etc.* et S. Petrus, ep. 1. c. III. *Timorem eorum ne timueritis, et non conturbemini*: timorem, id est, terrorem, minas,

plagas eorum, qui nos affligunt: *Mors enim* inquit S. Augustinus, l. IV. de civit. cap. XIII. *pœna nascentis, si pro justitia pietateque pendatur, fit gloria resurgentis.* Hunc timorem pepulere primævi Christiani tempore persecutionis, ut ostendit Tertullianus, lib. ad Scapulam Carthaginis præsidem in Christianos, c. 1. *Cum omni*, inquit, *sævitia vestra concertamus, etiam ultro erumpentes, magisque damnati, quam absoluti gaudemus, et in apologetico, cap. L. Licet nunc nos sarmentitios et semacios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis devincti sarmentorum ambitu exurimur, hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.* Hujusmodi heroes fuere septem illi Macchabæi fratres veteri in lege: in nova vero innumerabiles, uti S. Ignatius martyr, qui omnia tormenta diaboli in se provocavit leones contra se concitavit: S. Laurentius, qui in craticula tyranno insultavit: S. Polycarpus, qui aiebat: *Ignem minoris hunc quam ad momentum incenditur, et paulo post extinguitur. Verum ignoras ignem gehennæ, qui ad perpetuas pœnas præparatus est impiis*, Euseb. l. IV. c. XV. S. Dionys. episcopus Alexandrinus, qui pressus a persecutoribus dicebat: « Quid in sectando laboratis? Caput meum, pro quo ita fatigamini, avulsum a cervicibus sumite, et donum magnum ad tyrannum referte, » Euseb. l. VI. c. XXX. Talis in persecutione Wandalica, Victor proconsul Carthaginis ad Arianismum sollicitatus a ministris regis: Dicite, inquit, regi vestro, ut subjiciat me ignibus, adigat bestiis, excruciet omni genere tormentorum, si consentio, frustra sum ab Ecclesia baptizatus, » Victor Utic. l. III. persec. Wandal. Dionysia ad sanguinem usque flagellata ab Hunerico: *Ministri diaboli*, inquit, *quod ad opprobrium meum facitis, ipsa est laus mea*, Victor. ibid.

III. Timor quidem humanus, qui metuit difficultates, pericula, ignominiam, derisionem, etc. quæ occurrunt in heroicis virtutum actibus; veluti cum quis non audeat dare elemosynam, quia timet paupertatem, senium, casus sinistras; non audeat jejunare, metuens ægritudinem; non audeat publica pietatis opera peragere, quia timet hominum censuras et derisiones. De hoc Sapiens, Prov. XXII. ait: *Dicit piger, leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* In quem locum scribit S. Beda: « Dicit sæpe in animo suo is, qui ad bona opera agenda piger est, ad confitendam fidem quam corde tenet timidus: Non audeo fidem, quam novi foris profiteri; ne me persecutor impius, quia fidelem audit, perimat. Timeo ad exercendas virtutum actiones, in publicum progredi, ne forte, vel antiqui hostis adversitas gravior tentet, vel etiam homo quilibet perversus cum suorum

turba derideat; conviciis (sic legend.) confundat, injuriis afficiat: aut sicut multos justorum, qui ab ejus vita discordant, tormentis et morte consumat. » Miraculum naturæ est, quod eche-neis parvus piscis integra navigia remoretur. Non minus mirum est, si quis a progressu virtutum per inanem vulgi censuram aut derisum retardari se patiat. Pellendus ergo et hic timor, quia vel diffidentiam habet a Deo, vel erubescientiam. Pepulit sane illum Magdalena, quæ non erubuit intrare convivium in alienam domum, deplorare peccata sua, rigare pedes Christi; non timuit eum sepultum inter milites requirere. Unde de eo canit in hymno Ecclesia: *Ad stare non timet cruci, sepulchro inhæret anxia, truces nec horret milites, pellit timorem charitas.* Pepulit abbas Apollo, qui cum tempore famis liberalis esse in pauperes, monitus ne se et suos ea profusione penuriæ periculo objiceret, respondit: *Nonne hæc fecerunt apostoli et prophetae? An tunc quidem aderat Deus, nunc autem peregre est profectus?* Quare cibi et fructus ei divinitus ab ignotis suppeditati sunt, etiam quos non ferebat Ægyptia tellus, velut uvæ, mala punica, ficus, favi mellis, lac, lupini, panes, etc. Pallad. in Lausiaca. Pepulit Theodorus monachus qui dicebat: *Si cælum terræ adhæreat, Theodorus non formidat.* Rogaverat enim Deum, ut auferretur ab eo formido, ut haberetur in vitis patrum, l. V. c. VII.

IV. Timor ut ita dicam nocturnus, quo scrupulosi metuunt formidolose ne passim in suis actionibus etiam bonis Deum offendant: et quidquid in imaginationem venit, putant in mentem et consensum venisse, unde perpetua in illis carnificina. Quid hi scrupuli aliud nisi timores nocturni, de quibus monet Psalmus CX. *Non timebis a timore nocturno et a negotio perambulante in tenebris.* Timidi qui noctu ambulantes, umbras transiliunt, quasi sesent foveæ vel laquei: truncos pro lupis aspiciunt: sonitum filiorum fures interpretantur. Ita scrupulosi ob metum phantasiæ fortiter impressum peccata somniant, quæ nulla sunt, et cogitationes sibi injectas menti statim adhæsisse, labemque aspersione putant; quia peccatum et peccati metum duntaxat præ oculis habent, similes chamæleonti, qui pro diversitate coloratarum rerum sibi objectarum mutat colorem, teste Pierio, l. XXVII. hierogl. ob innatam animi timiditatem. Unde fit, ut sæpe peccent in rebus quæ secundum se peccata non sunt, nugæ sunt, propter erroneam conscientiam. Timor nocturnus fuit ille Madianitarum, quando compulsionem lagenarum de nocte ab Hebræis terribi et in fugam acti mutua se cæde trueidarunt, Judic. VII. similis tæ melancholicorum, qui fictiles lagenas pro

armis hostilibus, id est, levissima quæque pro peccatis habent eorumque apprehensione cadunt quasi vulnerati essent, et revera seipsos enecant. Observat diabolus talium complexionem timori obnoxiam ob internas tenebras rationis offusas ex atra bile vel humore melancholico cerebrum occupante (ut scribit Galenus, de simp. causis) ideoque larvis et umbris eos invadit ad eum modum, quo Salonitani castra Octavii cum Salonas obsideret dissiparunt et fugarunt. Noctu sese atris vestibibus vestierunt mulieres, capillum demiserunt, terribiles, prout quæque potuit, formas aut larvas potius asciverunt, faces ac tædas singulæ manibus gestarunt, sicque virbem egresse composito agmine, magno silentio, lento gradu recta in hostis castra tetenderunt. Eas non longe subsequerentur occulte viri egregie, armati. Ergo illas conspicati vigiles, exterriti sunt, dæmonum catervam suspicati. Accesserunt istæ propius, fugerunt illi, flammæ castris injeccerunt eadem illæ. Tunc excitati omnes adeo conturbati et pavefacti sunt, ut istarum viri subsecuti contrucidaverint plurimos, in fugam omnes ipsumque Octavium adegerint. Refert, lib. XXIV. Dio. Præsus hunc in modum terret scrupulosos dæmon peccatorum larvis, atque ita terribis non difficile vincit. Quare securis ad radicem ponenda et inanis ille metus menti eximendus, cogitandumque quod apostolus scribit ad Roman. VIII. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Injuriam faceret patri filius, si pro hoste eum haberet, conspectum ejus fugeret, vultum ab eo averteret, alloqui non auderet, etc. At hoc videntur facere scrupulosi Deo. Qualis ille qui abscondit talentum suum dicens hero: *Scio quia homo durus es, etc. et timens abii, et abscondi talentum*, Matth. XXV. Ad hos referri possunt recentes conversi, quos memoria præteritorum peccatorum vexat et cruciat, ne forte eis non sint plene condonata.

V. Timor puerilis, qui non audeat opponere se tentationibus, vim carni et concupiscentiis ejus inferre, ideoque manus dat. Causa est non tam pugna et victoriæ difficultas, quam animi pusillanimitas, qua qui hujusmodi sunt, larvas metuunt instar puerorum. Unde Seneca: *Non quia difficilia sunt non audemus, sed quia non audemus difficilia sunt.* Ferunt gubernatorem navis, in qua Pericles Atheniensium dux vehabatur, visa solis eclipsi, repente quasi exanimem corruisse. Sed hunc metum ademit ei Pericles, oculos ejus pallio obducens suo et dicens: Eodem modo solis deliquium accidisse, lunæ obductu. Hunc in modum aliqui, cum se gravis tentatio prodit, mox exanimantur quasi et ab-

jecto gubernaculo rationis manus dare volunt et succumbere. Verum scire debent non esse rem tanti periculi, nec abjiciendos remos bonæ operationis, sed fortiter resistendum, nubeculam esse, mox redituram lucem et ad futuram Dei opem et consolationem. Dicunt isti: *Leo est in via, et leona in itineribus. Sicut ostium vestitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo*, Prov. XXVI. In quæ verba scribit venerabilis Beda: « Multi cum verbum exhortationis audiunt, causantur de diabolo dicentes, velle se quidem viam justitiæ incipere, sed se a Satana impediri ne possint. Sicque hujusmodi excusationis sermonibus semper in lecto suis corporis, sicut ostium in cardine vertuntur: et modo exire ad operandum, modo ad quiescendum redire proponentes, in suis jacere pravitatibus nunquam desistunt. » Eodem pertinent, ut scribit S. Maximus Taurinensis, serm. XXXIX. « Quibus cum jejunium inducitur, de intemperie se temporis semper excusant. Dicunt enim æstivis mensibus, dies longa est, torrentior sol est, sitim ferre non possumus, poculis non refrigerare debemus. Hiemis vero tempore grave frigus est, rigores sunt pessimi, algorem tolerare nequimus, escis caleferi nos oportet. Ita homines quorum animus semper est in prandio, prandendi sibi causas inquirunt: » et post pauca: « His autem impiis hominibus cum dixeris, ut aliquid pauperibus largiantur, statim tibi objeunt: Necessitates infinitæ sunt, tributa sunt gravia, fiscalia explicare non possumus: et tanta tibi ingerunt ut quasi reum te statuunt, cur hoc ipsum illos volueris commonere. » Lupis istos similes non immerito quis dixerit; ut enim illi saxorum, quæ facile possent fugere, strepitus timent, (teste Pierio, lib. XI.) ita isti tentationum, quibus facile obviare possent, incursus.

VI. Timor immoderatus, qui plus æquo sollicitus est, v. g. de victu et vestitu quotidiano, quem prohibet Dominus, Matth. V. *Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Moderata sollicitudo de his non prohibetur, nimia et anxia vetatur. Eo etiam pertinet timor immoderatus de salute perdenda, de periculo purgatorii, vel damnationis incurrendæ: quando is talis est, ut perturbare, et a mentis tranquillitate ac confidentia dejicere hominem possit. Cruciat aliquos hoc dilemma: *Vel sum prædestinatus, vel non sum; si sum, certo salvabor, si non sum, certo damnabor, quidquid tandem egero.* Sed respondeo cum Greg. de Valentia, 1. p. q. XXIII. disq. 1. p. IV. Si es prædestinatus, bene tibi operandum est, prævisus es enim bene operaturus; quod si nolis operari, signum est te non esse prædestinatum; ut ergo certam tuam prædestinationem

facias, bene operare. Exemplum huic rei accommodatum scribit S. August. in lib. de Iono perseverantiæ, in hæc verba: « Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret et facienda non faceret, respondebat: Qualiscumque sim, talis ero, qualem me Deus præscivit. Qui profecto et verum dicebat, et hoc vero non proficiebat in bonum, sed usque adeo profecit in malum, ut deserta monasterii societate, fieret canis reversus ad vomitum; et tamen adhuc qualis sit futurus, incertum est. » Bene hunc timorem depulit a se mendicus ille apud Taulem, in colloquio theologi et mendici, qui interrogatus a theologo: *Quid faceres, si te Deus damnare vellet?* respondit: *Duobus brachiis, humilitate scilicet et amore, Deum complecterer, cogeremque mecum descendere in infernum, et sic mihi infernus fieret paradisus.* A simili timore liberatus fuit S. Salvius, qui cum defunctus et jam cælum ingressurus esset, audiit vocem: *Revertatur ad corpus, adhuc Ecclesiæ meæ est necessarius.* Cumque ille ingemiscens responderet: *Domine, si revertar, exponar periculo et forte nunquam huc redibo*, audiit: *Vade ego ero custos tuus, teque secure huc redicam.* Refert Gregor. Turon. 1. VII. hist. c. 1. Sed neque periculum damnationis inordinate debet timere is qui bene vivit: *Sancti enim solliciti sunt de præmio, non adeo formidantes de supplicio*, ait S. Prosper, epist. ad Demetriadem. Magnus etiam theologus p. Leon. Lessius soc. Jesu narranti quemdam virum gravem optare purgatorium subire usque ad diem judicii, ut eo sibi assecuraret æternam salutem, respondit: *Spem Christianorum majorem esse debere, quam ut certitudinem cælestis gloriæ tam longis purgatorii pænis redimat.* Refert. Corn. a Lapid. in 1. Joann. c. IV. indiscretos ergo istos timores foras mittit charitas, quamquam spes piorum semper esse mixta timori debet.

VII. Timor insanus desperantium de salute sua. Dicunt isti cum Hebræis illis: *Iniquitates nostræ et peccata nostra supra nos sunt, et in ipsis nos tabescimus*, (q. d. nulla jam nobis proderit medicina) *quomodo ergo vivere possumus?* Ezech. XXXIII. Sed quid ad hæc Dominus: *Die ad eos: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed ut convertatur impius a via, et vivat.* Habuit S. Abraham eremita neptem flagitiosæ vitæ, in qua biennium consumperat; ergo ut eam revocaret, ementito militis habitu, eques ad eam profectus est, inventam remotis arbitris ita allocutus est: « Super me sit peccatum tuum, quo hactenus amatoribus fæde prostituisti corpus tuum: ergo pro ea satisfactionem, ego, in die judicii pro te, filia mea, ratio-

THEMA.

Ad eum venimus et mansionem apud eum faciemus. Joan. XIV.

nem reddam. » Cumque illa regeret: « Nimis magna est iniquitas mea, non potest mihi esse spes salutis, » respondit: « Super me sit iniquitas tua filia mea: ex meis manibus Deus hoc peccatum requirat, tantum veni mecum. » Ita venit, et reliquo vitæ tempore tantam pro peccatis poenitentiam egit, ut miraculis etiam clara excesserit e vita. Refert S. Ephrem, tom. III. Surius, 16. martii. Insanus est hic timor, quia quo desperatior est res hominis, eo presentior est Deus et paratior ad juvandum, qui non vult mortem peccatoris. Tunc ergo maxime vitanda desperatio, cum res est desperatissima, maximeque excitanda certa in Deum spes et fiducia, dicendumque cum Michæa, cap. VII. *Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum Salvatorem meum, audiet me Deus meus.* Abscondit quidem se interdum Deus ab homine per subtractionem auxilii et solatii, ita ut videatur eum prorsus deseruisse; verum non propterea desperare homo debet, sed expectare potius reditum ejus, qui in hodierno evangelio ait: *Vado et venio ad vos.* Si ergo terret nos, quod ait: *Vado*, consoletur quod ait: *Venio ad vos.* Si affligit discensus, erigat promissum ejusdem reditus. Sicut variat aer, tunc pluvius, mox serenus est: ita et animus noster nunc jacet aridus et languet, nunc rursus stat et devotione exultat. Itaque timor iste foras mittendus est, alioquin ipse mittet hominem foras in gehennam.

Omnes istos timores ejicit et explodit ignis charitatis. Ergo, auditores, si quis aliquo timore quasi aëneo quodam globo gravatus et oneratus est, impetret a Spiritu sancto ignem charitatis, ut explodere tormentum suum et ejicere globum possit. Vere tormentum timor est, quia ut apostolus cit. loco subdit: *Timor poenam habet*, (S. Augustinus pro poena legit *torturum*) et sæpe magis cruciat quam ipsum, quod timetur malum. Exoneremus itaque timores istos, invocato Spiritu sancto: *Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.*

CONCIO VII.

FORNARIUS ET VENUS DE CALYPTIS
COMMUNICATURUS SIT COLUMBA.

- I. Redeat ad Deum per poenitentiam. — II. Careat felle odii. — III. Peccata omnia expiet per poenitentiam, etiam venialia quantum fieri potest. — IV. Habeat oculos simplices: 1. Quoad fidem. 2. Quoad intentionem. — V. Præmittat piam meditationem. — VI. Occupet se in divinis laudibus. — VII. Post communionem caute se gerat.

S. Gregorius papa, homil. XXX. in evangelia, super textum propositum scribit: « Pensate, fratres charissimi, quanta sit ista dignitas, habere in cordis hospitio adventum Dei. Certe si domum nostram quisquam dives aut præpotens amicus intraret, omni festinantia domus tota mundaretur, ne quid fortasse esset, quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo sordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis. » Hæc Gregorius: apposite ad hodiernum festum, quo multi in eucharistiæ sump-tione recipiunt magnum hospitem, cui utinam domum cordis sui ita omnes præparent, ut non solum ad eos venire, sed etiam apud eos mansionem facere dignaretur! Verum timeo ne Christo ejusque Sancto Spiritui eveniat interdum, quod evenit columbæ ex arca Noe emissæ, quæ cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, aquis nimirum diluvii terram omnem sepelientibus, reversa est ad arcam. Timeo, inquam, ne Christus ejusque gratia de cælo ad nos veniens in multorum cordibus non inveniat paratum domum, seu locum ubi requiescat; adeoque sine fructu nostro regredi ad cælum debeat. Quid igitur consilii in hac re adhibendum? Columba ad columbam libenter advolat, et cum ea moratur. Quare si et nos fuerimus columba, veniet ad nos Christus et cum eo columba illius, Spiritus sancti gratia, et mansionem apud nos faciet. Sane venerabiles Ecclesiæ antistites consueverunt olim sanctissimam, eucharistiæ hostiam recondere intra auream vel certe argenteam columbam, quæ ex alto loco altari imminebat; hasque columbas eucharisticas vocabant, quarum meminit Basilius, ep. ad Cæsariam. Et quid aliud hoc invento declarare voluerunt, quam quibus conditionibus instructus esse deberet, qui Christi corpus sumere digne et cum fructu vellet? Hoc ergo videamus.

I. Columbæ unice amant columbare suum, æque ac nidum et pullos suos: unde etiam si alio abducantur, mox, ut liberæ evadunt, eo statim revolant; quocirca columbis uti solent in obsidionibus urbium quasi tabellaris. Ad hoc præsertim assuetæ sunt columbæ Syriæ et Palæstinæ, quæ etiamsi ad centum millaria, a columbari abducantur, si e loco alto libere avolare sinantur, statim directe mira vel odoratus vel naturæ sagacitate ad columbare suum paucis horis revolant: quibus proinde ad hoc utuntur mercatores. Scimus etiam columbam a Noe emissam ad arcam rediisse cum virentia